

PK. 539, 20

B. m. T.

II b  
34

M. JOHANNIS GIDEON GELLI

SCHOLÆ QUONDAM CRUCIANÆ DRESDENSIS  
CON - RECTORIS

NOMINUM

ALIQUOT

CONTUMELIOSORUM

SYLLOGE

HISTORICO-PHILOLOGICA

QUAM

EX MSC<sup>TO</sup>

TYPIS EXCUDENDAM CURAVIT

B. AUTORIS FILIUS

M. ADOLPH GOTTLIEB GELLIUS. DRESD.

---

ANNO 1742.

---

IMPRESSIT JOHANNES GUILIELMUS HARPETERUS.





SUMMI SENATUS  
SACRI ET ECCLESIASTICI  
SAXONICI

QUI DRESDÆ FLORET  
PER ILLUSTRUM ATQUE EXCELLEN-  
TISSIMO

PRÆSIDI

ITEMQUE

VIRIS

MAGNIFICIS SUMME REVERENDIS EX-  
CELLENTISSIMIS CONSULTISSIMIS

ASSESSORIBUS

ET

CONSILIARIIS,



JUXTA ATQUE  
VIRIS  
PRÆNOBILISSIMIS AMPLISSIMIS CON-  
SULTISSIMIS PRUDENTISSIMIS  
REIPUBLICÆ DRESDENSIS  
PATRIBUS  
CONSCRIPTIS  
DOMINIS  
CONSULIBUS,  
SYNDICO,  
PRÆTORIBUS,  
RELIQUISQUE  
ORDINIS SENATORII MEMBRIS



D O M I N I S  
PATRONIS AC PROMOTORIBUS

RERUM SUARUM

OBSEQUIO INDEFESSO COLENDIS

ATQUE OBSERVANDIS

HAS QUAESCUNQUE

B. PARENTIS PAGELLAS

OB BENEFICIA SUMMA QUONDAM

IN SE COLLATA

MENTE HUMILLIMA PIETATE DEBITA

OBSERVANTIA PERPETUA

VETERI CLIENTUM MORE

D. D. D.

DEVOTISSIMUS CLIENS

M. ADOLPH GOTTLIEB GELLIUS,  
DRESD.

Diu





**D**iu multumque mihi cogitanti, qua ratione gratum meum erga Vos animum, pro cumulatissimis in me superioribus jam temporibus collatis beneficiis devinctissimum, aliquo tantum modo facerem testatum, nulla mihi commodior visa fuit occasio, quam si praesens, quæ inter *avendora* B. Parentis, de Nominibus quibusdam Contumeliosis, reperta est Differtatio, VESTRIS a me inscriberetur Nominibus. Singularem amoris affectum, quo B. Parentem per omnem vitam fuistis prosecuti, ipse, dum viveret, nunquam satis potuit deprædicare. Et quid ego  
de



de me dicam, cum Vos hactenus studiorum meo-  
rum Fautores non sine singulari animi voluptate  
fuerim expertus? Quid VOBIS offeram, quod gra-  
tissimi erga Vos animi possit esse *τενυμειον*? Acci-  
pite hanc qualemcunque Dissertatiunculam, cum  
majora VOBIS dare haud possim. Vos autem hu-  
millime rogo, ut illud, quo hucusque plus satis  
me complexi estis Patrocinio, in futurum quoque  
tempus denegare mihi haud velitis. Servet Vos  
Deus, PATRONI MAXIMI, sospites salvos ac inco-  
lumes, benedicat consiliis, quas pro salute Eccle-  
siae ac Reipublicae suscipitis, saluberrimis, meque  
habeatis VOBIS commendatissimum. Dabam Dresdae  
Calendis Decembris Anno Recuperatae Salutis  
M DCC XLII,





§. I.

**D**Ebebant utique homines, procul omni invidia, ira odioque, amice inter se agere, nec alter alterius famam ac existimationem, si vel maxime inimicus sit, laedere. Ac poterat hoc ipsum jam naturæ eos lex docere, quæcunque ab aliis nobis fieri volumus, eadem & illis esse facienda, sedulo injungens: ceterum cum & lex divina insuper accesserit, octavo præsertim Decalogi præcepto, famam proximi illibatam ac intemeratam custodiendam esse monens; facile, quid nostri hac in parte sit officii, cuivis licebit judicare.

§. II.

Ast, quæ mentis humanæ hodie est cæcitas perversitasque, in contraria omnia abire haud raro videas eos etiam, qui præ ceteris sibi sapere videntur. Hinc non invidia solum odium ac inimicitia clandestinæ ac occultæ, sed & lites, rixæ, jurgia, contentiones aliæque ejusmodi, quæ animis iratis provenire solent, aperte charitati proximi contraria, quæque, ni mature obviam eatur, iræ præsertim furore magis accrescente, in homicidia aut latrocinia degenerare possunt.

§. III.

Vbi tantopere sævitum haud fuit, aliud tamen iræ expromendæ genus non minus virulentum suggestit Cacodæmonis astutia, *contumeliam* nimirum ac *detractionem*. Quæ licet prima fronte non ita multum inter se differre videantur, accuratius tamen inquirentibus discrimen esse aliquod non leve aut exiguum inter utrumque patebit. Liceat nobis rem omnem  
JOH. CONR. DVRRII, Theologi & Philosophi Altdorffini superior





periori sæculo clarissimi, verbis, ex *Theologia* ejus *Moralis Compendio* (a) depromptis, edisserere. Ita autem ille, ubi prius cum veracitate Christiana pugnare docuisset: „*Differunt contumelia* „*& detractio, sicut rapina & furtum. Quando enim alicujus* „*fama & existimatio palam & in os laceratur & violatur, di-* „*citur Contumelia, quam Scriptura voce ατιπειζην designat Job.* „*II, 49. Jac. II, 6. Quando vero absentis fama leditur, ap-* „*pellatur Detractio.* „ Ex quibus facile apparet, nobis heic non dici de nominibus contumeliosis locis quibusdam ab eventibus parum felicibus inditis; Sicut *Vicus Romæ Sceleratus*, a Tullia impietate: (b) *Porta Scelerata*, qua CCC. Fabii egressi ad *Cremeram* fluvium ad unum omnes cæsi: (c) *Campus Sceleratus*, prope portam *Collinam*, quo *Virgo Vestalis* ob incestum viva defossa; (d) ad calamitatem infortuniumque ex obitu *Drusi* indicandum *Castra Scelerata* (e) legimus appellata.

#### §. IV.

Non dubium, quin prioris, paucis etiam post lapsum primorum parentum annis interjectis, exempla se prodiderint. Quod equidem expressis S. Codicis verbis non memoratur: Si quis tamen *Genes. IV, 8.* verba, quibus *Cain* locutus esse cum *Abele* fratre dicitur, nec tamen, quid locutus fuerit indicatur, attentius consideret, posset facile in eam delabi sententiam, jurgatum eum cum fratre fuisse, simulque varii generis diras in eum evomuisse. Scio, quæ aliis placuerint, quorum partem *AUG. PFEIFFERUS in Dubiis Vexatis* (f) partem *JOH. GOTTLOB. CARPZOVIVS, Lubecensium hodie Ecclesiarum* Super-

(a) *Part. III. Sect. IV. Cap. XV. §. IV.* (b) *Livius Histor. I, 48.*  
 (c) *Idem II, 50.* (d) *Idem IX, 15.* (e) *Suetonius*  
*Claud. Cap. I. Conf. Beroaldus ad h. l.* (f) *Loc. XIII.*  
 p. 41. f.





Superintendens, in *Vindiciis Criticis Codicis S. Ebraei, adversus Guil. Whistonum* Lips. 1724. 4. editis (g) prolixius tradidere, ex quibus, quæ huc pertinent, haurire licebit.

## §. V.

Creſcente deinceps hominum numero & hæc cum ipſis malitia creviſſe videtur. Certe quid aliud cenſeamus Noacho obtigiffe ab hominibus impiis, præfractis ac duræ cervicis, quorum etiam figmentum cogitationum cordis tantummodo malum eſſet omni die? (b) Quibus non ſcommatibus ac ſpinis excepiſſe arcam, quam divino juſſu exſtruebat, ligneam, tantumque ejus in adducendis omnis generis animalibus in terra viventibus, variique generis cibis comportandis, ſtudium? Annon ſenem eum delirum, ac neſcio quid ſomniantem, non ſemel appellaverint? Cujus poſtmodum dictorum veritatem non niſi damno ſuo, ſed ſero nimis fuere experti. Similia Chami filii minoris natu, linguam impudentem effuſiſſe, cum vino ipſum ebrium in tabernaculo jacentem conſpexiſſet non abs re ex ipſo Scriptore Sacro (i) colligas. Non enim tam leve, ut prima quidem facie videri queat, ejus fuiſſe delictum, adverſus PETRUM JURIAEUM pluribus in *Historia Eccleſiaſtica Veteris Teſtamenti* (k) oſtendit JOHANNES FRANCISCUS BUDDEUS. Quod ipſum etiam tam gravis maledictio paris, quæ illum poſterosque ejus preſſit, imo adhuc dum premere videtur, (l) ſatis ſuperque comprobavit.

## §. VI.

Lotho idem eveniſſe, ut a Sodomitis, quorum turpia facta ac peccata, ad cælum uſque clamantia, reprehendere non definiſſent,

B

nebat,

(g) P. 39-43. (b) Genef. VI, 5. (i) Genef. IX, 22. (k) Tom. I. Period. I, Sect. II. §. VII. p. 203. ff. (l) V. S. R. Val. Ern. Lœſcheri *Merckwürdige Werke Gottes* p. 325.





nebat, indigne haberetur, variisque contumeliis laceraretur, facile crederet, qui, quæ Genes. XIX, 9. & 2. Pet. II, 7. 8. de eo traduntur, majori cura & attentione legerit. Similia vero etiam Isaacum, Abrahami filium, ab Ismaële passum, ex Genes. XXI, 9. colligas; quæ tamen ipsi male admodum cesserunt. At ista tamen omnia meris adhuc conjecturis nituntur, cum nihil nominum ejusmodi contumeliosorum uspiam annotatum reperiamus.

### §. VII.

Primi, nisi me omnia fallunt, Josephum, cujus occidendi ceperant consilium, infesto animo *somniatorem* vocasse leguntur (m) fratres ejus memores scilicet somniorum, quæ ipsis antehac narraverat, futuram ejus dignitatem prælagientium. Atque hinc, credo, בעל החלמה, quasi somnio persuasum, se futurum omnibus suis superiorem (einen eingebildeten Traumherrn) εἰσωνυκῶς ipsum salutarunt.

### §. VIII.

Justa motus indignatione, ac zelo divino percitus Israëlitis in Cantico suo animi ingrati vitium exprobraturus Moses (n) maculas eos vocat, *generationem perversam & contortam, populum stultum & non sapientem*, non certe, ut, animo obsecutus suo, ægre illis faceret, qui noverant, quam plane hoc divinæ, quam ipse populo tradiderat, adversaretur legi; sed ut asperi ejusmodi remedio ad poenitentiam ipsos perduceret vir ad ἀκριβειῶν legum divinarum quacunque occasione inculcandam compositus. Extremis præsertim vitæ temporibus hæc quasi stimulum in animis suorum relicturus, de quibus diligenter per omne vitæ tempus cogitarent, liberos item suos, ac posteros tantum non omnes eadem edocturi. Quod stultos eos ac insipient-

(m) Genes. XXXVII, 19. (n) Deuteron. XXXII, 5. 6.





pientes (נבלי) vocat, sciendum, in Scripturis S. non tantum ratione, cerebro, ingeniique vigore destitutos hac voce denotari, sed & omni sapientia ac virtute vacuos, quique in illud tendunt, quod ipsis semper adversum summeque contrarium est, imo hunc etiam, qui talia vel docendo vel agendo propagat, quæ verbo Dei revelato bonisque moribus quam maxime adversantur & contrariantur. Ita Lexicographi, e quibus nunc præcipue nominamus PA. MART. ALBERTI *Portam Lingua Sanctæ.* (o) Nec abludit Lutherus noster, qui in Glossis suis eos vel rohe lose Leute, die nach Gott nicht fragen, (p) vel Spötter und lose Leute, die Gott nicht achten noch sein Wort, (q) interpretatur. Nec adeo multum inde abludere videntur ארילי Proverb. I, 7. tales nempe, qui in præcipiti affectatione mentis obvia quæque aggrediuntur, atque inconsiderate in se suscipiunt ac designant, Menschen, die auf alles fallen, und sich an alles hängen, was ihnen fürkommt. (r) Hos Ruchlose, ibidem reddidit Megalander. Quam vocem a Runch cura, & los, s. lädig derivat DIEDER von STADE (s) der sich aller Sorge ledig machet, und sich nirgends woran fehret. Aut, ut JOH. HENR. MICHAELIS (t) explicuit, qui spretis melioribus consiliis suum tantum placitum sequuntur. Nec minus in Novo Testamento μαρος cuius probri intentationem etiam gehenna dignam aperte pronuntiavit Salvator, (u) non aculeatum saltem dicitur, quo alterum pungere, ejusque simplicitatem exprobrare volumus, sed convicium grande, quo alium execramur penitus & quasi Diabolo tradimus, ceu desperatæ malitiæ, esse censetur AUG. PFEIFFERO. (x)

B 2

§. IX.

(o) v. נבלי. (p) ad Psalm. XIV, 1. (q) ad Prov. III, 35. (r) Alberti l. c. v. ארילי. (s) Erklärung der vornehmsten Deutschen Wörter Lutheri in Übersetzung der Bibel p. 514. f. (t) in Bibl. Ebr. ad h. l. (u) Matth. V, 22. (x) Dub. Vex. p. 895.





## §. IX.

Nomen & omen stulti ejusmodi gerebat Abigailis maritus, vel ipsa uxore ejus non diffitente 1. Samuel. XXV, 25. Atque hic quidem gravissima Davidem ejusque socios contumelia affecerat, servum ipsum fugitivum habens. Quod convitium David, Rex jam designatus unctusque, adeo graviter molesteque tulit, ut parum abfuerit, quin Nabalem ejusque domum universam gravi interneceione deleret. In quo tamen nimium iræ suæ obsecutus, haud levis citra controversiam peccati reus fuit factus (y) quibuscunque ipsum alii rationibus excusare conentur.

## §. X.

Idem tamen rursus etiam insigne & humilitatis & placabilitatis præbuit exemplum. Sauli enim Regi, pertinacissime ipsum insequenti, injustitiam simul ac crudelitatem exprobraturus 1. Samuel. XXIV, 15. *canem mortuum* ac *pulicem* se vocat, h. e. ita humilem & abjectum, ut nec velit, nec possit Regi nocere. Quæ Celeberrimi BUDDEI in *Historia Ecclesiast. Vet. Testamenti* (z) est explicatio. Fuit ergo *Canis* nomen etiam Israëliticæ genti, æque ac aliis, illis jam temporibus ignominiosum. Id quod & ex aliis Scripturæ S. locis, v. g. 1. Sam. XVII, 43. 2. Sam. XVI, 9. 2. Reg. IIX, 13. & pluribus forsan luculenter patet. De singulis enim seorsim dicere nostri non est instituti, quibus ad alia est festinandum. Unum non possumus quin subjungamus hisce Pauli scilicet ex Epistola ad Philippenses (a) locum. Ubi per canes, quos cavere suos jubet, vulgo quidem, nec male, ii, qui extra Ecclesiam Christianam sunt, intelliguntur, præsertim cum gentiles Judais ita appellatos satis constet. Quod tamen cum Christiani imitari vellent, pessime illis cessisse, Theodorici Marchionis

(y) V. Joh. Franc. Buddei Hist. Eccl. Vet. Test. Tom. II. Period. II, Sect. III. §. X. p. 101. (z) l. c. §. IX. p. 93. (a) III, 2.





chionis Brandenburgici, apud CRANZIUM (*b*) exemplo liquet. Præter hos tamen parasitos præcipue, gnathones, adultores & ad canum instar, notis pariter ac ignotis sui lucri & potissimum *Φιλαισχίας* causa abblandientes, innui, cum Chrysofotomo aliisque ostendit Academia Lipsiensis Programma in actu Promotionis A. 1653. editum, & in *Sylloge Programmatum Exegeticorum* (*c*) a GABR. TERNE repetitum. Τοῖς ἐξω idem convitii genus in usu fuisse, eo minus est dubitandum, quo frequentius apud ipsos videas occurrere. Vel unus nobis nunc e Græcis Homerus sufficiat, ubi Achilles Hectorem ita alloquitur: (*d*)

Ἐξ αὐτῶν ἐφυγες θανάτου, κύν.

Ex Latinis TERENTIUS (*e*) apud quem mortem minitanti Chremeti respondet Gnatho: *Am vero, canis?* Ad quem erudite, ut solet, observat JOH. WEITZIUS, Gymnasii Gothani tum quidem Prorektor, (*f*) Canis convitium apud veteres grave fuisse, & plurimum vitiorum notam.

### §. XI.

Præ ceteris tamen impudentiam, reliquorum criminum quasi genitricem, hac ratione objectam, patet. Unde & aliæ postmodum ejusmodi denominationes profluxere, ut *κυνωπις*, vel *κυνωπις* foeminino genere, *κύνος ὀμματ ἔχων*, atque similes. Ita *κυναμοία* s. *κυνομοία* Marti per convitium appellata Minerva apud HOMERUM (*g*) *παράτην κύναν, καὶ τὴν μινίαν, ἀναίδη ζῶσα ἀμφω*, uti Eustathio ad h. l. annotatum. Interdum & contemptum & vilitatem significare videtur. Quorsum haud incommode prorsus referas Abneris illud ira perciti (*b*) in hæc verba erumpentis: *Num caput canis ego?* Quasi dicat: Certe ita mecum agis, ac si essem homo

(*b*) Saxon. Lib. IV. (*c*) Num. LXXVII. p. 742. Lips. 1720. 8vo.

(*d*) Iliad. γ, 449. (*e*) Evnuch. IV, 7. 33. (*f*) Commentar. p. 255. (*g*) Iliad. φ. 394. & 421. (*b*) 2. Sam. III, 8.





homo non majoris pretii, quam est caput canis, Quam Sebast. Schmidii sententiam in *Bibliis Ebraicis ad b. l.* adfert JOH. HENR. MICHAELIS. Quamvis in alia abire videantur alii, uti Rabbinorum sententiam, numquid putas, me praefectum cani alicui regendo? *Job. Saubertus* (*i*) adduxit; aut, quæ JOH. HENR. MAJI Joh. Henr. fil. (*k*) est explicatio: *Tunc lascivorum atque impurissimorum principem me censes atque caput?* Nisi forte, ut ibidem existimat, *αρχισυνταγμα* quædam vocabulorum sit, sic ordinandorum: *Numquid canis sum ego, qui caput sive supremus belli dux sum Jude?* Aut, quod tutissimum pronunciat, si vox caput *απο τὸ κανὼν* repetatur: *Anne caput canis ego, qui caput sum Jude?* Quamcunque demum sententiam amplectamur, ingens vituperii ac contemptus signum elucebit.

#### §. XII.

Memoratu digna sunt omnino, quæ scriptor sacer posterioris libri Regum (*l*) de pueris Bethelicis, Elifchæ Prophetæ illudentibus, scelerisque simul hujus pœna ultrice tradidit. Puerili nempe petulantia impulsus, aut etiam, quæ nonnullorum est opinio, parentum idololatriæ addictorum, adeoque veris prophetis infensissimorum instinctu, calvitiam ipsi exprobantes, iterata quidem vice, quam repetitionem habere irrisionem FRANC. VATABLUS recte judicavit, calvum ascendere jubebant. Leve hoc videri poterat peccatum, nec tam gravi pœna dignum: enimvero cum in ipsum Deum contumelia hæc, ex odio veri Numinis profecta, redundaret, justo pro Dei gloria zelo, Jehovæ nomine, male ipsis fuit precatus. Voto eventus respondit, statimque dux uris ex sylva prodeuntes quadraginta ex iis discerpserunt. Quo ipso non pueros tantum, sed & parentes ipsorum

ide-

(*i*) Explicat. Selector. Scriptor. S. distor. p. 98. (*k*) Observation. Sacr. Lib. I. p. 132. f. (*l*) II, 23. 24.





idololatrias merito fuisse punitos existimat BUDDEUS. (m) Videtur ergo tunc Ebrais etiam ludibrio calvitie fuisse habita, JOH. SCHEFFERO in suis ad *Aeliani Varias Historias* (n) Notis cumprimis observante. Sicuti non minus apud Romanos longo post tempore deformitatem hanc iniquissime tulit Cæsar; nudus etiam capillo vertex Tiberio pudori fuit. (o) Ut adeo serio rem egisse SYNESIUM, Cyrenes Episcopum, qui calvitii nobis encomium inter Opera sua (p) DION. PETAVIO (q) iudice, & elegantia nitore, & rerum subtilitate, & rationum, argumentorumque varietate insigne, reliquit, parum sit credibile. Quorsum referenda etiam HUGWALDI monachi Elnonensis Ecloga de Laudibus Calvitii Caroli Calvi Imp. temporibus scripta, cujus singula verba a C litera, quæ prima est nominis Imperatoris, incipiunt, quam memorat CASP. BARTHIUS. (r)

### §. XIII.

Multum ad humilitatem animi generandam, magnosque spiritus reprimendos facere videtur, quando homines tantum non omnes Jobo (s) quidem, vermibus & lumbricis, Siracidi (t) cineri lutoque pares judicantur. Quibus tamen interim rebus tam afflictis non exiguo potest esse solatio, quod Deus erigere e pulvere depressum e sterquiliniis indigum (u) non semel in Scripturis S. affirmatur.

### §. XIV.

Procul hinc faceffant omnes cogitationes impia, quasi quenquam ignominia laceffere, aut convitiis proscindere unquam tentarint.

(m) l. c. Sect. IV. §. XII. p. 435. (n) XI. 4. (o) Suetonius Cæf. cap. 45. V. Berneggerus Diatr. in Sueton. l. c. (p) p. 63. ed. Paris. 1612. fol. (q) In Notis p. 25. (r) Adversarior. Lib. XLVI. cap. 22. (s) XXV, 6. (t) X, 9, 10. (u) I, Sam. II, 8. Pl. CXIII, 7.





tarit Christus Servator noster unicus, quicquid etiam corruptæ rationi humanæ heic videri queat. Quamvis enim *ονειδιζεῖν*, quod probris aut convitiis afficere interdum exponi solet, ipsi tribuatur ab Evangelistis, (x) tantum tamen abest, ut significatio hæc, his quidem locis, stare possit, ut potius existimandum, tam efficacibus eos argumentis Christum redarguisse, criminumque iis atrocitatem ob oculos posuisse, ut ipsos in se descendentes factorum pœniteret, probroque sibi maximo nunc ducerent ea, quibus antea mire sibi placuerant. Aliter proinde vox accipienda, quando de hominibus, qui *εν αμαρτιαις γεγενηθησαν ολοι*, (y) aliter, quando de Christo *κεχωρισμενω απο των αμαρτωνων* (z) usurpatur. Et quid? Annon Christus, qui solus his in terris noverat, quæ essent in homine (a) rectissime dicere de Judæis poterat: (b) *Vos ex patre Diabolo estis*; cum secus longe sese res haberet, ubi Judæi Samaritam appellabant Servatorem, & *δαιμονιον εχειν*, palam pronunciabant. (c)

### §. XV.

Ex jam dictis apparet, quid sentiendum sit de eo, quando Christus Phariseos acriter adeo redarguit, ut *οφεις* eos ac *γεννηματα εχιδνων* appellarit. (d) Qua in re, quoad posterius præeuntem videas Johannem Baptistam, de quo ab eodem Evangelista (e) similia narrantur. Serpentes nimirum eos vocat tum ob *πανουργιον* s. calliditatem ac astutiam, tum ob nocendi & maledicendi studium: Progeniem viperarum vero, quod pessimorum parentum pessimi essent filii, sive Diaboli eos filios esse innuat, qua de re paullo ante dictum, cui sententiæ B. etiam Lutherum fuisse addictum, novimus; quam tamen interim denominationem a Judæorum

(x) Matth. XI, 20. Marc. XVI, 14. (y) Joh. IX, 34. (z) Hebr. VII, 26. (a) Joh. II, 24, 25. (b) Joh. II, 44. (c) l. c. v. 48. (d) Matth. XXI, 33. (e) III, 7.





daorum figmento, serpentem cum Eva rem habuisse, non esse deducendam, probe monuit Vir CL. CHRIST. SCHOETTGENIUS: (f) sive ipsi perinde ut patres ipsorum, adhuc dum generatio sint contumax ac rebellis, iisdemque se sceleribus continent. Quæ Chrysoستي interpretatio magis placet ADAMO RECHENBERGIO. (g) De Germanicæ autem vocis Otter: *Gezüchte* significatione superius jam laudatus DIED. von STADE (h) est consulendus.

## §. XVI.

Similis est ratio alterius dicti (i) quo discipulis duodecim se eorum elegisse in memoriam revocans Servator, statim subjungit: *Και εξ υμων εις διαβολος ειμι*. Judam nimirum proditorem designat, cujus animi interiora jamdudum cognita ipsi erant atque perspecta, Diaboli ductum quod sequeretur, ejusque laqueis captus teneretur, aut quæ SAL. GLASSII (k) est sententia, quia ei similis efficiebatur mendaciis & homicidio, adeoque insigniter malitiosus erat. Nec minus in hunc censum referenda alia ejusmodi nomina, e. g. quando Herodem *vulpem* dicit, (l) cujus ipsi *πανουργια* sive calliditas fraudesque, quas occulte struebat plus factis nota erant. Ad quem locum rursus GLASSIUS (m) itemque JOH. HENR. MAJUS (n) evolvendi. Porro quando Phariseos *cæcos, cæcorumque ductores* vocat (o) *hypocritas* (p) nomine proprie quidem alienæ personæ in ludis scenicis fictorem, histrionem, mimum, pantomimum, aut alium ejus generis ludionem,

C

inde

(f) Horæ Hebraicæ & Talmudicæ ad h. l. p. 6. (g) Dissert. de Phariseis in Volumine Exercitat. in Nov. Test. Histo. Eccles. & Literar. Lips. 1707. 8vo. recusa §. XXII. XXIII. (h) l. c. p. 467. (i) Joh. VI, 70. (k) Rhetor. Sacr. Tractat. I. cap. X. (l) Luc. XIII, 32. (m) l. c. Cap XI. (n) in Observat. Sacris Lib. II. p. 69. ff. (o) Matth. XV, 14. XXIII, 17, 26. & alibi. (p) Matth. XXIII, 13, & aliis locis.





inde tamen etiam postea quemlibet simulatorem, charitatem aut religionem, quibus tamen intus caret, mentientem, denotante. Quod præter alios GEO. PASOR in *Lexico* egregie ostendit.

§. XVII.

Nec adeo alienum a proposito futurum arbitror Siracidis locum (q) huc referre, qui parcum ac tenacem, aut avarum porius, descripturus, *πovηγον επ αγρω* dixit. SEB. SCHMIDIUS *Malum super pane* reddidit: at longe significantius Lutherus, eius *nen fargen Silß*. Cujus origo si inquiratur, omnium rectissime eandem nobis iterum detexit DIEDER. von STADE, a similitudine scilicet lanæ tam firmiter inter se compactæ, ut dissolvi aut explicari non ita facile queat, eandem derivans. (r) Eadem enim certe avarorum esse solet ratio, qui opes congestas arcte adeo custodiunt, ne quid inde decerpatur, aut in alios usus convertatur. Quæ significatione nostris hodiernum solet usurpari.

§. XIX.

In Germanica ejusdem Megalandri & Veteris & Novi Testamenti versione nomen *Böfsewicht* aliquoties occurrit, ubi tamen, si fontes ipsos consulamus, in Apocryphis quidem modo *μαρτος*, modo *παμπovητος*, modo *παρρανομος*, in Novi autem fœderis libris semper *ο πovητος* exprimitur. Quod indicio esse queat, Satanam præcipue hac voce exprimi. In quo iterum consentientem habemus DIEDER. von STADE (s) cui vel hominem vel spiritum malignum, cujus ceteroquin non ita magna ratio habenda, significat.

§. XIX.

Succedant alia duo nomina, quæ simul exemplo esse queant, quantum vocum significationes succedentibus temporibus variare soleant.

(q) XXXI, 24. (r) l. c. p. 203, (s) l. c. p. 144, ff,





soleant. Primum erit *Schalck's Knecht*, ita enim *δελος πονηρος*, Matth. XIX, 32. germanice redditum invenias. Sane qui paullo exactius intimiora linguæ germanicæ inquisiverunt, in eo invicem consentient, *Schalck*, olim idem fuisse ac famulum s. ministrum: Id quod composita varia *Gottschalck*, *Marschalck* & alia aperte prodidere. Neque enim ANDR. HELVIGII etymologiam nostram facimus, cui vel nequam & callidum veteratorem, vel stultum & insipientem prima origine significare videtur. (t) Alia hodie est ratio, ubi, pravos atque improbos aut versipelles hoc nomine venire vel inde satis constat, quod alio loco (u) *οφθαλμον πονηρον*, *Schalck's-Muze*, animo æquo aliorum opulentium fortunam haud intuentem reddere Lutherus non dubitavit. Alterum vox *Magd* suppeditabit, quæ nostra ætate servam plerumque aut ancillam, olim quamlibet, etiam lautioris sortis, virginem intactam denotabat. Ita Hebr. *עלמות*, Pf. LXIIX, 26. Cantic. I, 3. Germanico *Mägde* legitur expressum, quod non nisi liberæ quascunque puellas, in ædibus paternis (im *Magdthum*, Numer. XXX, 4.) innuptas adhuc degentes, his quidem locis denotare potest. Conf. quæ de hac Germanorum voce erudite notavit D. v. STADE. (x)

### §. XX.

Restat, ut de *σπερμολογω* paucis agamus. Hoc nomine Paulum Apostolum calumniantes irridebant Athenienses, (y) ut brachio seculari, quam ratione non poterant, disputationem finirent. Quod convicium, quid sibi velit, non satis inter eruditos convenit. Si veteri apud DILHERRUM (z) interpreti fides habenda, *Seminiverbius* Latine foret reddendus: At GEO. PASORI (a) *σπερμολογος* magis placet, ut sit *garrulus, qui facile quevis etiam*

ex

(t) Origin, Dictionum German. p. 251. (u) Marc. VII, 22. (x) l. c. p. 420. (y) Act. VII, 18. (z) Disputation. Tom. I. p. 223. (a) Lexic. Nov. Test. v. Δεγω.



QX 76 34

X 3M7549



ex trivio arrepta disseminat, & in vulgus spargit. Hinc & Scurra aliis, quod honestum equidem initio nomen eum notabat, qui salibus & dictorum leporibus & cavillationibus jucundis studebat; Ceterum ob nimiam dehinc licentiam, uti Lexicographi observant, male audire cœpit, & βαμολοχος, γελωτοποιος appellatus. Quæ viri alii comminiscantur, nunc non addimus, his potius nunc inhærentes, quæ GOTTFR. OLEARIUS (b) SULDÆ ac HESYCHII auctoritatem secutus, retulit tum & ex PHILOSTRATO atque PLUTARCHO circulatorium atque circumforaneum hominum genus & Cereris Serapidisque occupati icunculis aut ædiculis, a Diis, quos gestabant, ali se agentes, describit. Germanica nostra versio vocem Lotterbube sistit, quæ vel hominem pravo sodalitiis addictum (c) vel nihil serio, sed tanquam per lusum & jocum omnia agentem γελωτοποιον (d) vel in prædonum turba versantem, talibusque cum illis actionibus intentum significare suevit. Quæ cuncta denique huc redeunt, ut abjectæ fortis hominem vilem & contemptum nobis sistant.

§. XXI.

Atque hæc sunt, quæ de nominibus Biblicis in contumeliam acceptis nunc quidem breviter & pro instituti ratione licuit proferre. Deo autem Trinuni supplices pro concessis viribus agimus gratias, & sic felicem huic Dissertatiunculæ imponimus finem.

(b) in Observationibus Philolog. de Gestis Pauli in urbe Atheniensium, Lips. 1706. §. XIII. (c) V. Bücher. Saal XXII. Dessn. p. 715. (d) Dieder. von Stade I, c, p. 413. f.







B.I.G.

Farbkarte #13

*BK. 539, 20*

*B. m. T.*



M. JOHANNIS GIDEON GELLI  
SCHOLÆ QUONDAM CRUCIANÆ DRESDENSIS  
CON - RECTORIS

# NOMINUM

ALIQUOT

## CONTUMELIOSORUM SYLLOGE HISTORICO-PHILOLOGICA

QUAM

EX MSC<sup>TO</sup>

TYPIS EXCUDENDAM CURAVIT

B. AUTORIS FILIUS

M. ADOLPH GOTTLIEB GELLIUS. DRESD.

ANNO 1742.

IMPRESSIT JOHANNES GUILIELMUS HARPETERUS.

